



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrum Misericordiae Palatium

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi
peristromatibus exornatum

Gzaeus, Nicolaus

Augustae Trevirorum, 1618

Quod peregrinis eleemosynas deceat tribuere cap. 39.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54477)

præteribis? Alienum prorsus est à lege di-
uina. Nam diuinorum mandatorum præco.
Paulus docet sic: *Si esurierit inimicus tuus ci-* Rom. 12
ba illum, si sitit, potum da illi. Vide igitur ne
inimicum dum deseris, dum eius non mi-
fereris, & te pariter deserat Deus, & in mi-
feriam labaris.



QVOD PEREGRINIS
ELEMOSYNAS DECEAT
TRIBVERE.

CAPVT XXXIX.

Non solum autem inimicis benefaci-
endum est, sed & ignotis, peregrinis
ac viatoribus eadem humanitatis confe-
renda sunt officia. Humani namque nihil
demit longinquitas patriæ, aut originis
ignoratio, vt benè docet Augustinus his
verbis: *Omnis homo est homini proximus,*
nec vlla cogitanda est longinquitas generis,
ubi est Natura communis. Extraneum i-
gitur vt propinquum recipe, proxi-
mus enim est qui nihil ab humanitate
alie-

i. seri-
pudic
vera

alienum habet: Ideò etiam Deus in Creatione Mundi productis varijs animantium generibus, vnicam produxit hominũ speciem, ne in vita oriretur vlla dissonantia, vbi originis nulla intercederet distantia. Nisi putamus non esse proximos, nisi qui ex iisdẽ parentibus nascuntur, Adam & Euanam intendamus, nosque omnes Fratres esse deprehendemus. Terra mater est, Deus formator, & artifex, communis origo, communem expetit humanitatem. Quod si effrata mens hominum peregrinos despicit quandoq; & inhumanè recipit, non ideò desperandum est, speret in Domino, qui pauperem ditat, & diuitem inopem facit. At verò vereatur inhumanus ne Deus forte permutata miserum efficiat eum, qui misero misericordiam conferre recusat. Deus enim tibi diuitias gratanter tribuit, quas eodem iure si iniuste feceris tollere valebit.

1. Pet. 4.

Heb. 13.

Psal. 145.

Ad hæc autem charitatis opera nos prouocat scriptura varijs in locis. *Hospitalis inuicem sine murmuratione.* Et alibi. *Charitatis Fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis.* Et Psalmista: *Dominus custodit aduenas.* Quantam autem

autem aduenarum curam habeat Dominus aperte demonstraui Deuteronomij 24. cum dixit: *Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris; non reuerteris ut tollas illum: sed aduenam & pupillum auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus &c. Si fruges collegeris oliuarum quicquid remanserit in arboribus, non reuerteris ut colligas, sed relinque aduene & pupillo. Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos: sed cedent in usus aduena pupilli & vidue.* Hisque positis rationem præcepti subiungens ait: *Memento quod & tu seruieris in Ægypto, & idcirco precipio tibi ut facias hanc rem.* Ægyptij namque si tanta charitatis impenderunt officia Abraham Isaac & Iacob, cæterisque Fratribus Ioseph, quid Christianos fidei lumine illustratos, facere conuenit? Benè quidem agit qui pauperes indigenas alit (dum enim aduenas commendo otiositatem non permitto) sed & benè agit qui viatoribus alimenta die vno aut altero subministrat.

Cap. 24. &
28.

Genes. 12. &
47.

L

QVOD